

Letter 110a: 1 October 1521, Halle, Albert of Brandenburg to Leo X

Printed in Herrmann, pp. 218-19 and there dated 23 October. The draft bears the date 1 October. The date 23 October (i.e. the date of despatch?) appears on the reverse of the page. This letter and Ep. 115 are letters of reference for Johannes Fabri. The drafts, now in the Strasbourg city archive (AST 40, # 35a and b), are in Capito's hand.

Beatissime etc. certior factus sum per Fabritium Capitonem, familiarem meum, quemadmodum Iohannes Faber, doctor canonum Constantiensis diocesis, mira diligentia stet pro parte ecclesiae, non solum vultu et verbis in quotidianis colloquiis, sed etiam rebus et stilo ipso, quo valet non mediocriter. Nam librum quendam in Lutheri factionem feliciter scripsit, nec edidit tamen,
5 quantum sciam, quod putarit, eo ingenio nihil loci esse propter insanam persuasionem, qua vulgus ab obedientia dstringitur. Atqui conatus est per se egregius, etiam si nihil effecerit. Ideoque hominem nunquam visum ex honesta praedicatione cepi amplecti plurimum, siquidem in pretio nos habere decet eos, qui vicissim nobis abunde student. Ceterum accepi, clementia
10 sanctitatis vestrae illum pridem consecutum praebendam et canonicatum in ecclesia maiori Constantiae, sed vehementer timere lites eoque insumpsisse animum accedendi Romam, istic acturus contra adversarios causam suam. Non potui committere, quin virum talem pro meritis commendarem vestrae sanctitati, quamvis ipse sibi, ut videtur, facile parabit egregiam existimationem et idoneam commendationem. Commendo tamen illum vestrae sanctitati vel eo
15 libentius, quo ea cognoscat, et mihi tam procul agentes notos esse, praecipue eo nomine, quod simpliciter et synceriter faciunt cum sanctitate vestra, cuiusmodi ille cum paucis admodum habetur, adeo semel invasit omnia libido repugnandi a vitis legibus.

Quare supplico magnopere, sanctitas vestra vel ob meas preces illum in obtenta praebenda tueri dignetur, sicut et meritus est et optimi quique exoptant, facilemque se illi pro solita clementia exhibeat, ut intelligat, meo quoque officio illi non nihil gratiae accessisse. Valeat
20 sanctitas vestra diu ac feliciter incolumis in publicam orbis utilitatem, cuius pedibus beatissimis me humillime commendo.

Datum in arce mea oppidi Hallis 1 Octobris anno etc.